



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Titulus II. De desponsatione impuberum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



## TITULUS II.

### De desponsatione impuberum.

*Quæst. 131. An & qualiter impuberes contrahere possint sponsalia.*

**R** Esp. Sponsalia contracta inter impuberes (quales sunt mares ante annum 14. ætatis, feminae ante annum 12. *l. sin. c. quomodo tutor. esse desin.*) ante annum septimum completum sunt Jure canonico invalida. Secus si contrahantur ab iis post annum septimum, eò quòd eo tempore, & non ante præsumatur discretio. *c. literas. c. accessit. c. ad dissolvendum. h. t.* Quòd si tamen inter septennes, adeòque habentes ætatem à jure requisitam unus necdum discretionem seu usum rationis adeptus esset, contra quòd aliàs regulariter accidit, adeòque præsumitur, sponsalia adhuc erunt nulla. Quòd ipsum vult *l. in sponsalibus. ff. de sponsal. dum dicit: in sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimonio*) nimirum quòd in matrimoniis semper sufficiat ætas in jure præscripta; in sponsalibus autem non semper; cum sæpe post septennium completum deest requisita discretio & usus rationis. Sanch. *l. c. d. 16. n. 3. Gutt. de mat. c. 2. n. 3. Castrop. p. 6. n. 3. Pirh. h. t. n. 2.* De cætero, cur jus canonicum eandem in viris ac feminis requisiverit septennii ætatem ad contrahenda sponsalia, cum tamen requisiverit diversam ad contrahendum matrimonium, & est ratio, quòd ad sponsalia sufficiat usus rationis, qui eodem tempore, nempe post septennium advenire solet viris ac feminis; ad matrimonium verò requiritur potentia generandi, quæ tardiùs in viris reperitur. Pirh. *l. c. ex Sanch. l. c.*

*Quæst. 132. Num ad hoc, ut valida sint sponsalia impuberum, necesse sit septennium esse completum mathematicè seu physicè, ita ut nulla dies desit, an verò sufficiat esse completum moraliter.*

**1.** **R** Esp. Posterius non improbabiler doceri à Gutt. *l. c. n. 7. & 8. Vivald. in Candel. ab aur. p. 1. de sponsal. c. 2. n. 15.* & alii apud Castrop. *l. c. n. 4.* Fundamentum eorum est, quòd id, quòd parum distat, nihil distare videtur. Aristot. *2. physicor. & l. penult. ff. de milit. testam.* & quòd jura requirentia septennium fundentur in præsumptione usùs rationis accedentis illo tempore; præsumptio autem ista cessare nequeat ob defectum duorum vel trium dierum. Quot verò dierum defectus morale illud complementum impediatur inter fautores hujus sententiæ non convenit. Jo-And. *inc. literas. h. t. n. 2. Vegal. 6. sum. cas. 101.* statuunt duos vel tres dies, Rodriq. *1. tit. sum. c. 244. n. 2.* unam hebdomadam. Sorus *in 4. d. 27. q. 2. a. 2. ad. 3.* Vivald. *l. c.* ulterius extendunt. Gutt. *l. c.* affirmat etiam medii anni defectum non impedire, quòd minùs septennium censetur completum.

**2.** Priùs tenent probabilius Sanch. *cit. d. 16. n. 4. Ponc. l. 12. c. 5. n. 3. Cöninck. d. 21. du. 5. n. 51.* quot citat & sequitur Castrop. *n. 5.* Fundamentum horum AA. est, quòd quoties à jure designatur certum tempus, illud compleri debeat physicè, ita ut nequidem unus dies deficere debeat, ut videre est in professione religiosa, ad cujus valorem; Trident. *sess. 25. c. 15. de regular.* exigit annum 16. completum, in presbyteratu, ad cujus licitam collationem

exigit 24. annos completos; ne aliàs liberum sit cuilibet tempus septennii restringere vel ampliare, quòd jura præscribita certum tempus vitare intendunt. Plures nihilominus inter hos AA. ut Ponc. *l. c. n. 5. Cön. l. c. Pirh. n. 3. Sanch. d. 26. n. 2. & 4. Covar. l. c. p. 1. c. 2. n. 2. & c.* putant non obstare, diem ultimum septennii completum non esse, modò cceptus sit; eò quòd favore matrimonii dies cceptus ex juris dispositione pro completo habeatur; arg. *l. qua ætate. ff. de testam.* ubi favore testamenti permittitur, ut testamentum, quòd alias condi nequit ab eo, qui annum 14. non complevit, condi ab eo possit, qui ultimum diem anni 14. inchoavit; quòd tamen Castrop. *l. c. n. 6.* ait spectato rigore juris non subsistere; eò quòd tempus à jure determinatum currat à momento ad momentum. & confirmat id ipsum exemplo religiose professionis, in qua dies inceptus non habetur pro completo, ut ipse Sanch. probat *l. 2. de mat. d. 24. n. 22.* Quòd ad *l. qua ætate.* ait esse specialem illam dispositionem, quæ ad alios casus extendi non debeat, præsertim cum non sit eadem ratio, dum testamentum testatori favorable est, & nullatenus onerosum; sponsalia autem, sicut ac professio partim sint favorabilia partim onerosa.

*Quæst. 133. An saltem valeant sponsalia contracta ante septennium, dum constat contrahentes pollere perfectò usu rationis.*

**R** Esp. Non convenire quoque in hoc AA. affirmant. Cön. Ponc. *ll. cit.* Covar. *l. c. n. 1. Sanch. d. 16. n. 9. Rebell. de oblig. just. l. 4. q. 5.* Fundamentum illorum est, quòd ideo præscribitur septennium; quia ante illud non præsumitur adesse usus perfectus rationis; adeòque cessante hic & nunc illa præsumptione per certitudinem de usu rationis tanquam sine ac fundamentò hujus legis, cesset lex hæc requirens septennium. Unde & dixit JC. in *l. in sponsalibus. ff. de sponsal.* ad sponsalia satis esse, quòd sponsi, quid agant, intelligant. Confirmantque hoc ipsum exemplo matrimonii, pro quo contrahendo, esto, à jure requisitus sit in feminis 12. annis, completus in maribus 14. si tamen malicia, hoc est potentia generandi ante illam ætatem alicui adveniat, validè contrahat matrimonium; *c. de illis. it. 2. h. t.* quia in eo cessat ratio, ob quam illa ætas 12. & 14. annorum præscripta. Negant è contra Castrop. *l. c. num. 8.* & quos citat. Abb. *inc. juvenis n. 5. & inc. gemm. n. 6. h. t. Angel. v. sponsalia. n. 3. Marian. Socin. conf. 3. vol. 1.* Rationes illius sunt, quòd si sententia affirmativa vera, jura statuere & dicere non debuissent; sponsalia ante septennium contracta esse nulla, sed præsumi debere esse nulla, quamdiu usus rationis perfectus non elucefcit. Item frustra septennium hoc à jure præscriptum esse, si solus usus rationis spectetur; quia stante usu rationis ante septennium valebunt; illo verò deficiente etiam post septennium non valebunt. Quòd autem matrimonium contractum ante præscriptam ætatem, maliciâ supplete ætatem, non valeat, id sit specialiter decisum à jure; quale cum nihil disponat vel excipiat circa sponsalia, hæc exceptio sine fundamento trahatur ad sponsalia.

*Quæst.*



*Quest. 134. An & qualiter peccent impuberes contrahendo Sponsalia de futuro ante septennium vel ante perfectum usum rationis.*

**R**esp. Nullum, aut certe levissimum committi ab iis peccatum. Sanch. l. 1. d. 17. num. 4. Gutt. cit. c. 2. num. 14. Ponc. l. 12. c. 5. num. 4. Coninck. du. 21. du. 5. in fine; quos citat & sequitur Castrop. num. 11. contra Nav. in man. c. 22. n. 12. Sylv. v. matrimonium. 5. n. 6. Rosell. Per. Ledesm. &c. docentes peccare graviter contrahentes ante legitimam ætatem, si exinde Sponsalia sint invalida; imprimis enim si contrahant ante perfectum usum rationis, patet, non committi peccatum mortale; cum contrahentes ex eodem capite non sint capaces culpæ mortalis. Si verò pollentes perfecto usu rationis contrahant ante septennium, secundum sententiam probabilem sunt Sponsalia valida, ac proinde non peccant. Si tamen sint invalida, adhuc non peccant graviter; nulla enim irrogatur irreverentia Sacramento; cum Sponsalia non sint Sacramentum; in nullius etiam id procedit præjudicium; cum neuter contrahentium vi illorum obligetur; ad summum itaque tanquam actus otiosus & inutilis erit peccatum veniale. Neque his obstat c. 2. h. t. ubi dicitur: *Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem à Canonibus determinatam non pervenerint, conjungantur, nisi forte urgentissima necessitate aliqua interveniente*; loquitur enim de matrimonio, non de Sponsalibus, ut colligitur ex verbo illo *conjungantur* quod conjunctionem matrimonialem denotat; Sponsalia siquidem non sunt conjunctio Sponsorum, sed conjunctionis promissio, ita Castrop. cit. n. 11.

*Quest. 135. An & qualiter peccent impuberes contrahendo Sponsalia de presente seu matrimonium.*

**R**esp. Impuberes contrahentes matrimonium per verba de præsentem, malitia non supplete ætatem peccare mortaliter negant Sanch. l. 1. d. 17. n. 6. Ponc. l. 12. c. 5. n. 4. eo quod cum ille contractus non sit matrimonium, sed tantum habeat rationem Sponsalium, nulla fiat irreverentia Sacramento. E contra si id fiat sine urgentissima causa esse peccatum grave, censet Castrop. cit. p. 6. num. 13. eo quod manifestè id prohibeatur, c. 2. h. t. quod loquitur de conjunctione matrimoniali, non verò de conjunctione matrimoniali, non verò de conjunctione per copulam, in quam conari talibus non posse sine peccato gravi, admittit Sanch. Item quod talestamenti sola Sponsalia contrahant, quantum tamen est in ipsis, matrimonium, ad quod contrahendum sunt impediti, contrahere intendant; attentare autem efficere Sacramentum nullum, gravis sit irreverentia irrogata religioni. Textus verò in contrarium adduci solent, si bene expendantur, non tam talem contractum matrimonialem permittant, quam solum factum narent, declarentque matrimonium non esse, sed Sponsalia, & nullatenus affirmant aut indicent, talem contrahendi modum esse licitum, quod ipsum tamen si indicarent, explicandum esse, ait Castrop. quod id liceret stante urgentissima causa ab Ordinario approbanda (utpote quæ irreverentiam illam, quæ est in contrahendo matrimonio forte nullo excusat) & habita probabilitate de aptitudine talium impuberum ad generandum, quæ seclusâ, nulla esse potest

R. P. Lenr. Jur. Can. Lib. IV,

causa exigens contractum per verba de præsentem, vel etiam honestant conamen illud in copulam, ut illud permitti posse ex urgentissima causa, dum dubium est de valore matrimonii, uti est, dum dubitatur de potentia generativa, docet Sanch. l. c.

*Quest. 136. An & qualiter Sponsalia contracta ante septennium eo adveniente ratificentur.*

**R**esp. Ratificantur ex mutua cohabitatione, Castrop. l. c. num. 10. juxta c. ult. h. t. in 6. deficiente verò illa cohabitatione, ratificari debent verbo vel facto, quibus se tanquam Sponsos gerant. Ad hanc tamen ratificationem requiritur, ut ipsi Sponsi sciant Sponsalia ante septennium nulla esse, & velint ea rata habere; siquidem stante ignorantia ratificationem locum non habet, Castrop. l. c. Sanch. l. 1. d. 16. n. 8. & 9. Gutt. de mat. c. 2. n. 13. Ponc. l. c. c. 5. n. 5.

*Quest. 137. Que ætas requiratur ad Sponsalia de presente, seu ad matrimonium validè ac licitè contrahendum.*

1. **R**esp. primò: Jure naturæ nulla determinata ætas requiritur ad hoc, sed ea est sufficiens, in qua perfectus usus rationis adest; ea siquidem sufficit, ut contrahens se obligare possit ad copulam mediâ potentia successu temporis habendam. Sanch. l. 7. d. 104. n. 11. Castrop. de Sponsal. d. 4. p. 14. s. 4. num. 1. Laym. l. c. tr. 10. p. 4. c. 12. num. 1. cum communi.

2. **R**esp. secundò: Ætas jure ecclesiastico seu secundum Canones, uti & secundum leges, est pubertas, eaque completa, nimirum in masculo 14. in femina 12. annorum completorum, ut constat ex c. ubi non est. c. puberes. c. continebatur. c. attestaciones. b. l. l. minorum. ff. de ritu nupt. Covar. in epitom. l. 4. p. 2. c. 5. n. 3. Fagn. in c. 2. h. t. ubi etiam n. 11. rationem dat, quare conjunctio matrimonialis ante dictos annos à Canonibus ita prohibeatur, nimirum, quod cum minores apti sunt ad matrimonium, obligantur ex contractu matrimoniali; plerumque autem incertum sit, num sint apti supplete nimirum malitiâ ætatem, idque ex habitu corporis aliisque signis difficulter cognosci valeat, hinc frequenter fiat, ut alter conjugum penitentia ductus prætextu invaliditatis resiliat à matrimonio, & cum alia contrahat. Porro hæc ætatem debere esse completam mathematicè non secus ac ætas ad professionem & sacros Ordines requisita; eo quod quoties jus ætatem alicui actui præscribit, ea integra esse debeat, & quod in iis, quæ à jure sunt præscripta, regula illa: *quod parum distat* &c. locum non habeat, sed solum in iis, quæ ab humano pendent arbitrio, tenent Sanch. l. c. in princ. Ponc. l. 7. c. 65. n. 1. Castrop. l. c. contra Rebell. l. 3. q. 16. s. 2. & alios censentes, sufficere esse completam moraliter, V. G. 10. vel 20. diebus deficientibus.

Limitatur tamen responsio ita, ut proximi puberati, discretionem & potentiam coeundi pollentes, validè & licitè, tam in foro externo quam conscientie contrahere possint matrimonium. Castrop. l. c. num. 2. Sanch. n. 21. Ponc. l. c. Covar. n. 2. Pirh. h. t. n. 35. juxta c. continebatur & c. de illis. b. t. siquidem in matrimonio contrahendo non debet spectari tempus annorum, sed an contrahentes sint ejus discretionis, ut se obligare, generare, concipere possint. Pirh. l. c. gl. in c. puberes. h. t. Talibus autem

K

contra-



contrahentibus matrimonium incumbit onus probandi, se habuisse tempore contractus dictas qualitates, utpote quæ ante pubertatem non præsumuntur, nimirum se matrimonio onera rectè percipisse ( hoc enim venit nomine discretionis & prudentiæ, cuius fit mentio *c. fin. h. t.* ) ac insuper se habuisse potentiam illam ( quæ probatur per copulam, cum seminis effusione aliqua signa iudicio Medicorum examinata ) alias matrimonium illorum declarandum nullum. Porro proximi pubertati dicuntur secundum aliquos, quibus duo vel tres anni deficiunt, secundum alios, quibus defuit 6. menses, secundum alios, quibus defuit annus; quod ultimum verius censet Castrop. *l. c. n. 3.* Alii id iudicis arbitrio relinquendum, ut Corrad. *l. 4. dispens. Apost. c. 3. à n. 2.* Arg. *l. 1. ff. de iure de liberandi.* Et quamvis aliqui pubertatem non ex annis æstimant, illumque masculum puberem dicant, qui annum 14. implevit, etsi tardius pubescat; certum tamen esse ait Pirh. *l. c.* illum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare jam potest; unde alia est pubertas naturalis, alia legalis.

*Quest. 138. An, quando & quale peccatum committant, qui Sponsalia de presente seu matrimonium contrahant ante pubertatem.*

**R** Esp. ante legitimam ætatem seu pubertatem contrahere matrimonium, esse peccatum, negat Sanch. *l. 1. d. 17. & l. 7. d. 104.* cò quòd istiusmodi matrimonia impuberum non valeant in vi matrimonii, sed tantum in vi Sponsalium; contrahere autem Sponsalia ante ætatem determinatam à iure matrimonio non sit peccatum. Textus verò, *c. 2. h. t.* districtius inhibens, ne aliqui ante ætatem determinatam conjugantur intelligendus non de conjunctione per contentum conjugalem, sed per carnalem copulationem; quam tamen interpretationem huius textus non subsistere, patet ex eo, quòd Papa ibi, dicat, conjunctionem illam concedi non posse nisi ex urgentissima causa; siquidem conjunctio per copulam carnalem, ne quidem ex urgentissima causa concedi potest. Verum contrarium, nimirum, ubi ignoratur ( idem est, ubi de hoc dubitatur, & à fortiore, ubi scitur contrarium ) malitiam superare ætatem, contrahere matrimonium esse peccatum mortale; quia tales attentant inire statum ab Ecclesia reprobaturum & districtè prohibitorum, tradunt Rebellus *l. 4. q. 5.* Ponc. *l. 7. c. 65. n. 3.* Castrop. *num. 4.* Pirh. *l. c.* Robert. König. *h. t. n. 3.* qui etiam vult committi grave Sacrilegium non secus; ac si adulti cum impedimento dirimente contraherent, vel ac si minister in aliis Sacramentis committeret talem defectum, ex quo Sacramentum redderetur invalidum; neque obstat ait, eiusmodi matrimonia habere duntaxat rationem Sponsalium; cum hoc ipsum sit Sacrilegium, usurpare nimirum materiam & formam Sacramenti; imò intendere Sacramentum perficere in talibus circumstantiis, ubi valere non potest ut matrimonium & Sacramentum, sed tantum, ut Sponsalia; quæ non sunt Sacramentum. Verum hæc ratio non usque adeo placet; quia tunc irrogatur irreverentia Sacramento, quando quis profert formam Sacramentalem super materia indebita; non verò quando ponit aliqua, quæ neque forma neque materia sunt Sacramenti, qualis est in præsentis contractus irritus, quem proinde

ponens non committit Sacrilegium irrogando irreverentiam Sacramento, ne pater in contractu matrimoniali metu extorto, & hinc irrito, etiam si ponatur animo se obligandi: De cætero hic notandum, aliud esse, ignorare malitiam non superare ætatem, aliud ignorare legem inhibentem ne contrahatur ante pubertatem, nisi ubi adest dicta malitia, in quo secundo casu per accidens dicta ignorantia legis excusabit à peccato; quòd autem scientes nullitatem talis matrimonii nequeant efficaciter intendere matrimonium vel Sacramentum, non impedit, quò minus illud attentare possint, ac ita peccent.

*Quest. 139. An & quando Episcopus possit dispensare cum impuberibus, ut contrahere possint matrimonium.*

**R** Esp. Dum adest urgentissima causa, posse ordinarium dispensare cum impuberibus habentibus usum rationis ( intellige ad obligandum sese ) ut matrimonium validè & licitè contrahant, ait Castrop. *n. 4.* Sanch. *l. 7. d. 104. num. 9.* Hurad. *d. 22. diff. 12. in fine.* Laym. *l. c.* Limitat hoc ipsum aliquantum Pirh. *n. 33.* nimirum ut possit id ipsum Episcopus, dum adest iusta causa ( cuius cognitio ad ipsum quoque spectat ) quando impuberes sunt prope legitimam ætatem seu pubertatem, ut dubium sit, an malitia superet ætatem, valeatque tunc talis dispensatio pro utroque foro; siquidem, ut ait Barbos. *ad c. 2. h. t. num. 5. & de potest. Episc. alleg. 35. n. 20.* cum in *cit. c. 2.* Pontifex dispensationem sibi non reservaverit, tacitè eam Episcopo concessit.

*Quest. 140. An pubertate obtentà, necdum tamen obtentà potentia cocundi seu generandi valeat matrimonium.*

**1. R** Esp. Esse invalidum matrimonium tale, eò quòd dum contrahens ex defectu ætatis non habet potentiam generandi, non videtur habere ætatem requisitam ad matrimonium ( intellige ad valorem illius ) tenent quidam cum *gl. in c. impuberis. h. t. v. tardissime.* E contra valere illud, modò speretur successu temporis dictam potentiam habendam, probabilius affirmant Covar. *l. c. num. 2.* Sylv. *v. matrimonium §. 9. 7.* Mascard. *de prob. concl. 889. n. 10.* Sanch. *l. 7. d. 104. n. 5.* Gutt. *c. 117. n. 1.* Castrop. *n. 5.* Pirh. *n. 35.* Laym. *l. c.* siquidem dum adest legitima ætas, & de nullo impedimento perpetuo constat, tenet matrimonium, & certè aliàs sequeretur, quòd impotens ad copulam ob infirmitatem corporis non posset contrahere matrimonium, & non dari triennium ad experiendum, utrum impotentia illa sit temporalis an perpetua, sed continuo dissolvendum tale matrimonium, ut Castrop. textus verò *c.* puberes postular hanc potentiam ad valorem matrimonii in contrahentibus ante annos pubertatis, non verò in contrahentibus completis istis annis. Porro tempus expectandum ad experiendum, utrum impotentia sit perpetua, & ante quòd dissolutio matrimonii peti non potest, est plena pubertas, nempe in mare annus 18. juxta *l. abrogato. ff. de adoptione, & §. minorem Inst. eod. in famina 14. l. mala. ff. de alimentis legat. sententiæ Covar. l. c.* Sanch. *num. 18.* Gutt. *n. 1.* Ponc. *n. 1.* Castrop. *n. 7.* Laym. *l. c. n. 2.* Pirh. *cit. n. 35.* eò quòd cum completiones hominum sint diversæ, æquum non sit intentari dissolutionem matrimonii ob impotentiam, quousque



quousque conjux sit in ea ætate, quâ censetur naturæ perfectum robur acquisivisse; videtur quoque Laym. sentire, ultra dictos annos adhuc expectandum triennium; dum postquam dixerat, expectandam plenam pubertatem, quæ est 18. annorum in mare, 14. in fœmina, addit: & ex eo tempore conceditur spatium triennii ad expediendum, utrum impotentia sit perpetua nec ne, sicut docent Cõn. d. 31. du. 7. n. 18. & Sanch. ex probabiliori. Hæc ipsa tamen limitant hi AA. nimirum; nisi ante attractos annos appareret impotentiam non ex debiti ætate, sed ex frigiditate aliove impedimento provenire.

2. Illud hic notandum & inferendum ex dictis & cum Laym. l. c. n. 3. quodd si mas ante annum 14. fœmina ante 12. in carnis delicto, puta adulterio, incestu Sodomix deprehendantur, præsumptionem juris ac de jure esse, quod in ea ætate delictum non perfecerint, uti constat ex l. si minor. ff. ad Leg. Jul. de Adult. & c. 1. de delictis pueror. si tamen certis indicis constet, quod malitia ætatem suppleat, puniri poterit, mitius tamen, quam sit ordinaria pena, de quo Molin. tr. 3. d. 36. n. 5. Notandum item & inferendum, per malitiam hic intelligi, tum vigorem naturæ seu potentiam coeundi & generandi, ut Sylv. v. matrimonium 5. q. 2. Pirh. h. t. n. 37. tum etiam prudentiam, ut vocatur in c. fin. h. t. id est, discretionem & judicium rationis sufficiens ad cognoscendum statum conjugalem, ejusque perpetuum & indissolubile vinculum; atque hæc duo, nempe dictam discretionem & potentiam copularivè requiri ad valorem matrimonii ante legitimam ætatem contracti, Abb. in c. continebatur. h. t. n. 4. Pirh. l. c.

*Quest. 141. An & qualiter Sponsalia impuberum de futuro solvantur mutuo consensu eorum.*

**R** Esp. primò: impuberes septennio majores (nam, cum septennio minores, saltem ubi perfectò uti rationis non possent, contrahere nequeant Sponsalia, de iis cessat quæst.) contrahentes Sponsalia resiliere ab eis seu dissolvere ea etiam mutuo consensu nequeunt ante adeptam pubertatem, ne propter ætatis inconstantiam sæpius contrahant, & iterum resiliant juxta expressum textum c. de illis, h. t. Nacti tamen pubertatem possunt id non tantum mutuo consensu; sed etiam quilibet eorum, non expectato alterius consensu potest resiliere, jure sic statuente, ne cogantur approbare & firmiter observare, quod in tenera ætate immaturo judicio statuerunt. Procediturque id ipsum tam in foro conscientix quam externo, jure consulere volente immaturo & mutabili puerorum judicio, ne tam gravi vinculo indissolubiter & irrevocabiler obligari possent; adeoque, ut præsumitur, volente auferre omnem obligationem etiam in foro conscientix, non secus ac puerorum vota, etsi valida, possunt sola patris vel tutoris voluntate irritari. Pirh. l. c. n. 7. cum Sanch. cit. d. 51. n. 19. Procedit item, etiam si Sponsalia juramento firmata fuerint; eò quod juramentum sequatur naturam actus, cui adheret, nisi à jure contrarium statutum fuerit, à jure autem nullibi dispositum, quod juramentum confirmet Sponsalia impuberum. His non obstante c. ex literis, de Sponsal. ubi textus inquit, eos impuberes, quia Sponsalia contraxerunt, & juramento firmarunt, cogendos esse ad contrahendum

R. P. Leur. Jur. Can. Tomus IV.

mattimonium, siquidem impuberes, de quibus ille textus, erant pubertati proximi, ita ut, non tantum Sponsalia firma, sed & mattimonium de præsentate contrahere possent. Ita docent Castrop. l. c. n. 9. citatis Ponc. de mat. c. 9. n. 8. Hentiq. c. 2. de Sponsal. n. 9. contra Sanch. cit. d. 51. n. 23. & 24. Gutt. c. 29. n. 12. Covar. in 4. decret. p. 1. c. 5. quamvis & hi id non admittant nisi in casu, ubi impuberes pubertati proximi contraxerint Sponsalia.

2. Resp. secundò: Resiliere poterit impuberum quilibet, qui prior pubertatem adeptus, non expectata alterius pubertate, cum juxta c. cum contingat. de off. Jud. delegat. frustra expectetur eventus, cujus nullus est effectus. Castrop. cit. p. 17. num. 5. Pirh. h. t. n. 6. cum Sanch. l. 1. de Sponsal. d. 51. à n. 6. Debebit tamen statim ac adeptus pubertatem reclamare seu à Sponsalibus resiliere, alioquin postmodum non poterit; quia eo ipso, quod non reclamaverit, censetur per tacitam consensionem ita firmasse Sponsalia, ac si ea post pubertatem contraxisset. Sanch. l. c. n. 14. Castrop. cit. n. 5. Ponc. c. 9. n. 4. Gutt. l. c. n. 3. Arg. cit. c. de illis; statim autem reclamare censetur, si intra triduum, postquam agnovit se attigisse pubertatem, reclamet; arg. l. fin. c. de errore advocati. ibi; in continente. & l. fin. c. de Judæis ibi: illico, id est, intra triduum, ut ibi Bald. Mandos. de monitoriis, q. 31. n. 8. Sanch. Gutt. Ponc. Castrop. LL. cit. Unde jam opus non est, ut factus pubes, Sponsalia ratificet; quia eo ipso, quod non reclamet, censetur in priore voluntate persistere. Pirh. l. c. n. 7. Sanch. l. c. n. 15. quod verò ibidem num. 16. addit, & ex eo Pirh. nimirum si impubes ante pubertatem resiliat à Sponsalibus, & postea non mutet eum dissentium; quia non amplius recordatur, post pubertatem manere Sponsalia dissoluta, id merito vocatur in dubium; cum enim dissensus ille seu resiliencia impuberis sit nulla, jure illam irritante, perseverantia habitualis in illo dissensu etiam post pubertatem nihil operatur, sed manet is in vigore, quo ante pubertatem contracta Sponsalia, & vi illius persistunt Sponsalia, nisi retractentur & solvantur alio dissensu post pubertatem habito expressè vel tacitè, loco talis taciti consensûs sufficiente non reclamazione jure sic statuente. Poterò sufficere pro foro conscientix dissensus hanc seu reclamacionem fieri interius in animo, etsi extrinsecus non manifestetur, tradunt Sanch. l. c. n. 16. Gutt. n. 7. E contra sicut ad constituenda, sic & ad dissolvenda Sponsalia requiri extrinsecam consensûs vel dissensûs manifestationem; docent Castrop. l. c. Ponc. n. 5. Si quamvis expediat manifestationem illam dissensus fieri coram Episcopo ejusve Vicario, his tamen deficientibus, sufficere fieri coram honestis personis, tradunt Sanch. n. 17. Gutt. n. 7. Castrop. n. 5.

3. Resp. tertio: pubes, qui contraxit Sponsalia cum impubere, resiliere non potest, sed tenetur expectare pubertatem alterius, qui eam adeptus, si non resilierit, uti potest, firma persistunt Sponsalia. Sanch. cit. d. 51. num. 10. Castrop. l. c. num. 6. Gutt. c. 29. num. 8. cum communi juxta expressum textum c. de illis. h. t. & ibi DD. potest siquidem contractus quandoque claudicare, id est, ex parte unius esse retractabilis, & non ex parte alterius. V. G. in favorem minoris, dum hic cum majore contrahit, illi soli permittitur resiliere, l. non eo minus. c. de procurat.

K 2

4. Resp.



4. Resp. quartò : Dum parentes pro filiis impuberibus contraxerunt Sponsalia, (intellige valida, nimirum accedente consensu filiorum impuberum) filii impuberet resilire nequeunt, quousque puberes effecti, Sanch. n. 12. Gutt. n. 10. Castrop. n. 7. His non obstante textus c. 1. h. t. ubi; *potest pater filium nondum aduatum, cuius voluntas discerni non potest, cui vult, matrimonio tradere, & postquam filius pervenit ad perfectam aetatem, omnino debet hoc implere*; nam intelligendum hoc de debito, non necessitatis, sed honestatis, ubi filius non habet justam causam reclamandi; gl. & Abb. in cit. c. Castrop. cit. num. 7. Et licet citatus textus non videatur facere differentiam inter filium impuberem et puberem; cum tam hic quam ille, ubi ex decencia non adest justa ratio in

contrariam, debeat implere voluntatem patris, impubes tamen expectare debet pubertatem, ante quam resilire nequit. Ex his inferitur, dicta hucusque de dissolutione Sponsalium contractorum ab impuberibus, habere pari modo locum, dum hi de presente contraxerunt matrimonium, matrimonio hoc juris interpretatione non habente vim nisi Sponsalium, adeoque ante adeptam pubertatem resilire nequeunt. Pirh. l. c. num. 9. & 10. nisi tamen inter impuberes intercesserit copula vera & perfecta, quæ quandoque anticipat pubertatem (intellige annos alias communiter designatos pubertati) c. à nobis h. t. per hanc enim inter illos consummatur matrimonium,

Abb. in cit. c. 3. Pirh. cit. num. 10.

## TITULUS III.

### De clandestina desponsatione.

*Quest. 142. Sponsalia de futuro clandestinè contracta num valeant & liceant.*

**R**esp. ad primum: Sponsalia de futuro celebrata clam sine presentia Parochi & testium vel etiam cujuscunque alterius sunt valida, Sanch. l. 1. d. 13. Gutt. de mat. c. 4. à n. 1. Pone. l. 12. c. 5. n. 6. Castrop. l. c. p. 2. n. 15. Pirh. ad tit. de Sponsal. n. 26. Barb. ad Trid. sess. 24. c. 1. de reform. contra Segur. & alios paucos apud Castrop. l. c. siquidem contractus istiusmodi Sponsalitus irritus non est jure naturali, ut per se constat, neque ullo alio jure positivo; nam Trid. l. c. irritans contractum matrimoniale seu matrimonium sic contractum, & vel sic corrigens & derogans juri communi, vi cuius tale matrimonium valebat, nullam mentionem facit de Sponsalibus; ergo ea dispositione omissa seu præterita, adeoque nullatenus cadentia sub illo decreto Tridentino irritante Sponsalia de presente clandestinè celebrata relinquuntur dispositioni juris communis, vi cuius à fortiore valent Sponsalia clandestina, cum etiam vi illius valeant & valuerint matrimonia clandestina.

2. Resp. ad secundum: Neque etiam per se loquendo Sponsalia clandestinè celebrata sunt illicita. AA. cit. cum communi contra Sylv. Armill. Cajet. &c. apud Castrop. l. c. nullo enim jure nec antiquo nec novo sunt prohibita; quod autem ex clandestinis Sponsalibus oriantur quandoque aliqua inconvenientia, non probat esse per se illicita, sed solum consultius esse, ut testes adhibeantur, etiam ad hoc, ut eis fides in foro externo adhibeatur, ad illud verò, quod objici solet, nimirum, prohibito matrimonio, prohibentur quoque Sponsalia: ergo prohibito matrimonio clandestino prohibentur quoque Sponsalia clandestina, negatur sequela, nam licet prohibito absolutè matrimonio quocunque demum modo illud contrahatur, prohibeantur quoque absolutè Sponsalia, utpote quæ via sunt ad matrimonium, & non contrahuntur nisi ratione matrimonii futuri, quod proinde, si illicitum, Sponsalia forent promissio rei illicitæ, & sic nulla; non tamen inde sequitur, quod prohibitio non absolutè matrimonio, sed solum ne tali modo, nimirum clam

contrahatur, prohibeantur quoque Sponsalia sic contrahi, cum Sponsalia clandestina non sint via ad matrimonium clandestinum; non enim clandestinè ea contrahentes promittunt sibi aut obligant se ad matrimonium clam contrahendum, sed eo modo, quo permittit Ecclesia; adeoque Sponsalia talia sunt promissio rei licitæ, & consequenter valida & licita. Textus quoque adduci soliti ex i. oratio. ff. de Sponsal. l. si quis tutor. ff. de ritu nupt. eodem modo intelligendi de casu, in quo matrimonium prohibetur absolutè, sive ut nullo modo contrahatur, vel quando est eadem ratio prohibitionis matrimonii & Sponsalium, quæ eadem ratio non est in presente, dum matrimonium clandestinum prohibetur ad vitandum concubinatum cum secunda uxore putatitia, ad quam quippe publicè ductam cogebat Ecclesia incia matrimonii prioris clam contracti, validè tamen, intellige, ante dictam prohibitionem, quod locum non habet in Sponsalibus clandestinis, quibus non obstantibus, matrimonium subsequens cum alia est validum.

*Quest. 143. Quenam matrimonia sint clandestina.*

**R**esp. matrimoniorum clandestinorum à jure reprobatorum & punitorum tantum duæ sunt species; dum nimirum contrahuntur absque presentia parochi & testium; vel dum contrahuntur sine præmissis denunciationibus; quorum priorum dicuntur ab aliquibus clandestina simpliciter; alia clandestina secundum quid, & huic clandestinitati non obstat, etsi de cætero contrahantur in medio foro & plane Ecclesia.

*Quest. 144. An & qualiter matrimonia contracta sine presentia parochi & testium olim fuerint, & modo sint prohibita.*

**R**esp. primò: Fuerunt semper istiusmodi matrimonia ab Ecclesia graviter prohibita & illicita, ut patet ex multis Canonibus, præsertim ex c. nullus. 30. q. 5. ubi Hormisda Papa: *nullus fidelis cujuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione accepta à Sacerdote, publicè nubat in domino*; & quidem sub gravi culpa, prout denorant

verba